



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 6. De Politiâ hodiernâ Græcorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

§. 6. *De Politiâ hodiernâ Græcorum.*

PARENT Turcæ, & à Saniacis Ottomanicis reguntur. Imperatori tributum quotannis in singula capita pensitant, & præterea liberos (quos Tributi vocant:) feliguntur autem robustissimi, & in præsentia omnes plerumque à parentibus offeruntur, uno tantum reseruato: ex iis sunt Genessari *les tanissaires*, militiae Turcæ robur. Ab hoc tamen liberorum tributo eximuntur Nauplienes, *ceux de Napoli en Roumanie*, Rhodij, Constantinopolitani, Bulgari, Hungari. Superant Græci multitudine Turcas, sed nullius animi sunt; permixti Græcis Albani paratiores sunt ad rebellionem; sed malè haetenus consilia sua texerunt, ut innuunt in Moreâ enatæ factiones, quibus sibi, & aliis Græcis perniciem sapere accersunt.

## CAPVT II.

*De Turco-Græciâ, seu Imperio Turcico.*§. 1. *Quomodo Imperium Turcicum in Græciam peruerterit.*

**C**ALLIPOLIS, seu Gallipolis Thraciæ occupata primùm est ab Ottomanis Duce Amurato, seu Morato, quem Froisardus corruptissimè vocat *Laboraquin*. Euocati tum fuere Turcæ à rebellibus Orientalis Imperij, & usque adeò capti sunt regionis vberitate, & amœnitate, ut Imperatorem suum propè compulerint cum copiis in Græciam traicere; quod & præstitit traductis ex Asiam in Europam 60. millibus armatorum ope Genuensium, qui in magnam rei Christianæ perniciem luem istam in Thraciam transduxere. Amuratus ex Callipoli, Thraciam vniuersam depopulatus, Hadrianopolim, & Philippopolim cepit, & latè Imperium suum in Europam promouit. Successit ei filius Baizetes cognomento *Gilderun* hoc est Ceraunus, qui patris victorias extendisset deuictis ad Nicopolim Christianis, nisi Tamerlanes Tatarus hoc fulmen extinxisset: quo tempore res Mahumetanorum se habuerunt pessimè; donec Mahometus reparatis Turcicis copiis sedem Imperij ex urbe Prusiâ, *Bursa*, Hadrianopolim traspors.